

per florem „Jesus Christus Redemptor noster“ denotatur: *Flos iste Christum Regem exprimit ac designat, qui de se ipso loquitur, dicens: „Ego flos campi et lilium convallium“*; per aurum vero eundem Regem Regum et Dominum Dominantium fuisse innuitur, quod etiam significavit aurum illud, quod ipsi, a Magis oblatum fuit: *Aurum namque Regem non immerito dicitur denotare, cum ad hoc designandum a Magis figuratiter oblatum fuerit Salvatori, ut per hoc Rex Regum et Dominus Dominantium monstraretur; denique odor gloriosae Resurrectionis ejusdem triumphum praemonstrat, quae mundi totius fuit atque est spiritualis laetitia: Odor autem hujus floris, Resurrectionis ejus gloriam praefigurat etc. sane anfractus et climata omnium scelerum foeditate concreta tantus odor dominicae Resurrectionis aspersit, ut nulla pars orbis alienam se ab odore isto sentiat vel expertem, sed omnes se gaudeant odore hoc suavissimo spirituales inequitas in coelestibus jam vicisse. Ita magnus Praedecessor noster Alexander III. ad Ludovicum VII. Francorum regem scripsit, cum rosam auream eidem dono mitteret. cujus epistola tom. 10. Labbeanae Collectionis Conciliorum editionis Parisiensis pag. 1360. refertur, ubi Cossartius in notis animadvertit. ante Alexandrum III. a Pontifice Eugenio III. idem dictum fuisse in epistola, quam ad Alphonsum Hispaniae regem auream rosam ipsi mittens conscripsit, quae epistola eodem tomo pag. 1094. habetur: *Rosam auream, quam in signum Passionis et Resurrectionis Jesu Christi Domini Nostri dominica, qua cantatur: Laetare Hierusalem, singulis annis romanus Pontifex portare consuevit, Serenitati tuae per Venerabilem Fratrem nostrum P. Segoviensem Episcopum providimus transmittendam. Qua**

in re illud etiam hic animadvertere opportunum est, in rosa aurea ritu id moris antiquitus fuisse, ut aurum ipsum rubro colore tingeretur ad Christi Passionem distinctius denotandam, quemadmodum ex citata Alexandri III. epistola deducitur: *Rubor autem, quo aurum coloratum est et suffusum, Passionem significat Redemptoris, de quo utique scriptum est: Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibibus de Bosra? Et iterum: Quare rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

*Illud postremo observandum restat, quod pertinet ad rosae aureae benedictionem. Haec autem in praeterito opere de sacris caeremoniis Marcelli nomine inscripto exacte descripta habetur, ubi lib. 1. ad tit. de benedictione rosae et indicatam superius orationem refert, quae in benedicenda rosa adhibetur, et exponit, rosam ipsam balsamo inungi ac muscum contritum super eandem imponi, qui muscus in Ecclesia graeca etiam hodie in usu est, cum sit una ex illis speciebus, ex quibus sancta unctio sive chrisma conficitur, quemadmodum in Euchologio Graecorum pag. 508. tum apud Goar. super eodem Euchologio pag. 516. et apud Isaac Haberti in Pontificali Graecorum pag. 699 et 714. videre est, super haec omnia demum aquam benedictam aspergi atque incensum adoleri subjungit, quae etiam ab eodem lib. 2. cap. 37. referuntur.*

Permuli sunt, qui falso existimant, institutionem ritus rosae aureae atque ipsius benedictionem uno eodemque tempore ortum habuisse. Quod quidem nulla ratione sustineri posse ex eo patet, quod in romanis Ordinibus, qui a praed. Joanne Mabillonio tom. 2. *Musaei Italici* editi sunt, quorum alii ante, alii post decimum tertium saeculum conscripti fuerunt, de rosa

quidem aurea, de balsamo et musco sermo sit, verum nulla omnino mentio de benedictione in ipsis habeatur. Edmundus Martene in *supracit. cap. 19. num. 17.* Pontificem Innocentium IV., qui anno 1243 ad Summ. Pontificatum evectus fuit, benedictionis hujusce auctorem facit, ea nixus ratione, quod in ejusdem Pontificis vita verba haec legantur: *Primus rosam auream solemni caeremonia ac ritu benedixit eamque Canonicis s. Justis hospitibus suis Lugduni dono dedit.* Verum Pagnius in *Breviario romanorum Pontificum tom. 3. in vita Innocentii IV. ad num. 28.* de fide auctoris illius vitae vehementer dubitat, cum in Ordine romano Petri Amelii, qui sacrista fuit Urbani V. anno 1362 in Pontificem electi, nulla benedictionis mentio facta reperiat.

Quare verisimile admodum est, benedictionis ritum subsequentis saeculi initio fuisse introductum. Extat Pontificis Julii II. epistola in *tomo 13. Conciliorum editionis superius citatae*, quam ille ad Guilielmum Cantuariensem Episcopum conscribit, dum eidem rosam auream Henrico VIII. Angliae regi dono exhibendam transmitteret, qui rex deplorabilis postea schismatis auctor fuit: *Mittimus nunc ad eum rosam auream sancto chrismate delibutam et odorifero musco aspersam nostrisque manibus de more romanorum Pontificum benedictam.* Leonis X. etiam Breve apud Cartharium habetur, quod ab eodem Pontifice ad Saxoniae ducem cum rosae aureae munere missum fuit: *Sacratissimam auream rosam quarta dominica sanctae Quadragesimae a Nobis chrismate sancto delibutam odoriferoque musco aspersam cum benedictione apostolica, ut vetus est consuetudo, aliisque sacris adhibitis Caeremoniis consecratam.* Quibus quidem verbis, cum claram ab hisce Pontificibus expressamque

benedictionis rosae, sicut ea hodie peragi solet, mentionem fieri ac de eadem tamquam de veteri consuetudine ipsos loqui deprehendamus, non incongruum videtur statuere, ejusdem benedictionis usum tempore nuper indicato introductum fuisse ab aliquo scilicet Pontificum saeculi illius, quod Julii II. ac Leonis X. tempora antecessit, ad quam instituendam ea de causa adducti sint, ut ipsa sacra Caeremonia sanctior adhuc atque augustior redderetur: *Omnis Creatura Dei bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum Dei et Orationem; verba sunt Apostoli in prima ad Timotheum cap. 4., quibus verbis Theologi utuntur, ut omnem quidem Creaturam et bonam et mundam esse comprobent. Quemadmodum vero, si fieri posset, ut aliqua immunda foret, ea signo Crucis et Oratione sanctificari posset, multo potiori ratione aliae res bonae eodem signo Crucis, Oratione ac Benedictione meliores possunt et sanctiores evadere. Qua de re Cardinalem Bellarminum de cultu Sanctorum lib. 3. cap. 7. in tom. 2. *suarum Controversiarum* videre esse. Iisdem etiam vestigiis insistens praedictus Joseph Catalanus loco cit. §. 3. num. 1. balsamum quidem et muscum ritus rosae aureae institutioni coeva esse indicat; verum Benedictionem, in qua et preces adhibentur et aquae benedictae aspersio fit atque incensum adoletur, recentiore esse affirmat atque ad illud tempus referendam, quod a Nobis paulo pridem indicatum est.*

Haec igitur, dilecti Filii, sunt, quae Nos in hac epistola nostra exponere Vobis opportunum existimavimus non quidem, ut eruditionem ostendamus, sed ut muneris hujus, quod Vobis mittimus, praestantia magis innotesceret. Etenim, ut Praedecessoris Nostri

Pontificis Nostri Pontificis Callisti III. verbis utamur: *Non muneris aestimanda est quantitas, sed altioris significationis qualitas interpretanda*, ut habetur in epistola, quam is ad Carolum Galliarum regem conscripsit, cum rosae aureae munus ad eundem transmisit, quaeque a *Raynaldo in Annalibus ad annum Christi 1457 num. 52.* refertur. Idem etiam Vos munus (ut cum Callisto ipso pergamus), tamquam sinceri affectus Nostri pignus ac monumentum habete: *En igitur accipe pignus ac monumentum nostri amoris*, et adjungit: *Rosam hanc laetissimo corde suscipe nec te auri fulgor sed contemplatio divinae significationis teneat.* Postquam vero indicata superius hujusce ritus mysteria exposuit, ita concludit: *Utinam divinus odor penetret in tuos sensus, charissime Fili.* Hos itaque Callisti Praedecessoris Nostri pios et plenos amoris erga Galliarum regem sensus Nos adoptamus ac pro nostris hic ponimus, dum rosam auream a Nobis benedictam ad Vos transmittimus, ac dum postremo Vobis et reliquis dilectis Filiis Concivibus Nostri apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae die 24. Maii 1751.

(Bull. r. t. XVIII. p. 195.)

*Gregorius PP. XVI.*

Paternae charitatis affectus, quo pluribus de causis patriarchalem Ecclesiam Venetiarum specialiter prosequimur, Nos compellit, ut praecipua benevoli ac grati in eam animi monumenta conferamus, quae ad majorem ejusdem splendorem necnon ad divini cultus incrementum pertinere dignoscantur.

Motu itaque proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostri deque apostolicae potestatis plenitudine eidem patriarchali templo rosa

ex auro conflata atque romanorum Pontificum instituto quarta Quadragesimae dominica, cum ad laetitiam et exultationem vocamur, a Nobis benedictam tenore praesentium donamus ac tribuimus. Quae vero in solemnibus benedictionis rosae ejusmodi caeremonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum peccata dimittat, adversa destruat, prospera cuncta concedat, ea iterum impensissimo humilique cordis studio a misericordiarum Patre efflagitamus, ut dilectis Filiis Capitulo et Canonicis Ordinibusque universis ac toti populo Veneto cumulate impertiantur. Ut autem sacrum hoc munus cum honore, uti par est, suscipiatur volumus, illud dare eidem patriarchali Ecclesiae per dilectum filium magistrum Petrum Antonium Pianton praesulem Nostrum domesticum Protonotarium apostolicum. Cum vero ibidem Sacrum solemne ea de causa sit peragendum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui peccata sua confessi ac sacra Communionem refecti, vel eidem Sacro adstiterint vel illo die Ecclesiam ipsam visitaverint ibique pro sanctae Ecclesiae bono pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus et Nostra auctoritate confisi indulgentiam plenariam misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae die 11. Oct. 1833.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 281.)

*Pius PP. VIII.*

Paternae charitatis affectus, quo Cathedralis Ecclesiam Cingulanam prosequimur, in qua sacro fuimus a baptismate abluti atque in minoribus constituti praepositi munere functi sumus, Nos compellit, ut majora adhuc grati in eam animi monumenta con-

feramus, quae ad majorem ejusdem splendorem necnon ad divini cultus incrementum pertinere dignoscantur.

Motu itaque proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostri deque apost. potestatis plenitudine eidem Cathedrali templo rosam ex auro conflata atque ex roman. Pontificum instituto quarta Quadragesimae dominica, cum ad laetitiam et exultationem vocamur, a Nobis benedictam, tenore praesentium donamus ac tribuimus. Quae vero in solemnibus benedictionis rosae ejusmodi caeremonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum peccata dimittat, adversa destruat, prospera cuncta concedat, ea iterum impensissimo humilique cordis studio a misericordiarum patre efflagitamus, ut dilectis filiis Capitulo et Canonicis, Clero ordinibusque universis ac toti populo Cingulano cumulate impertiantur. Ut aut sacrum hoc munus cum honore, uti par est, suscipiatur, volumus illud dari eidem Ecclesiae per venerabilem fratrem Philippum Episcopum Ripanum nuper illius Ecclesiae Canonicum prope diem Cingulum accessurum.

Cum vero ibidem sacrum solemne ea de causa sit peragendum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui peccata sua confessi ac sacra Communionem refecti vel eidem sacro adstiterint, vel illa die Ecclesiam ipsam visitaverint ibique pro sanctae Ecclesiae bono pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et Nostra auctoritate confisi indulgentiam plenariam misericorditer in Domino elargimur, non obstantibus in contrarium quibuscumque facientibus.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 7. Maii 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 104.)

## 2) Benedictionis ritus.

*De benedictione rosae, quae fit dominica: Laetare Jerusalem, et ejus traditione.*

### §. I.

Consueverunt romani Pontifices in dominica quarta Quadragesimae, in qua cantatur in Ecclesia: *Laetare Jerusalem*, rosam auream benedicere et illam post missarum solemnias alicui magno principi, si praesens est in Curia, dono dare. Si autem non esset in Curia princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem regem vel principem, ut placuerit SSmo Domino nostro cum Consilio Sacri Collegii. Nam consuevit Summus Pontifex ante vel post missam convocare Cardinales ad circulum in camera sua vel ubi sibi placet, et cum eis deliberare, cui danda vel mittenda sit rosa.

### §. II.

*De loco, in quo rosa ipsa benedicitur, et de oratione ad benedictionem illius.*

Pro ejus igitur benedictione juxta lectum paramenti, ubi SSmus Dominus noster accipit sua paramenta, paratur parvum altare et super illud duo candelabra, et Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali et mitra accedit ad ipsum altare et deposita mitra dicit:

*Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit coelum et terram. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

„Deus, cujus verbo et potentia facta sunt omnia et cujus nutu universa diriguntur, qui es laetitia et gaudium omnium fidelium, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hanc rosam odore visuque gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis laeti-

tiae in manibus gestamus, beneddicere et sanctificare tua pietate digneris, ut plebs tibi dicata ex jugo Babylo-nicae captivitatis educta per unigeniti Filii tui gratiam, qui est gloria et exultatio plebis Israel, illius Jerusa-lem, quae sursum est mater nostra, sinceris cordibus gaudium repraesentet. Et quia ad honorem nominis tui Ec-clesia tua hoc signo hodie exultat et gaudet, Tu ei Domine verum et per-fectum gaudium largiaris et devotio-nem ejus accipiens peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foveas, mi-sericordia protegas, adversa destruas, prospera cuncta concedas, quatenus per fructum boni operis in odorem unguentorum illius floris transeat, qui de radice Jesse productus, flos campi, et lilium convallium mystice praedi-catur, cum quo in superna gloria cum Sanctis omnibus sine fine laetetur, qui tecum vivit et regnat in unitate Spi-ritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen."

## §. III.

*De inunctione balsami et impositione musci ac aliis, quibus rosa aurea benedicitur.*

Finita oratione inungit cum balsamo rosam auream, quae est in ipso ramusculo, et superimponit muscum tri-tum, quod per Sacristam ei ministra-tur, et imponit incensum in thuribulo more consueto, et demum aspergit rosam aqua benedicta et adolet in-censo. Interim Clericus camerae apo-stolicae sustinet rosam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis a dextris et ille ad manus Pontificis, qui manu sinistra rosam gestans et dextra benedicens, progrediatur ad capellam, et Diaconi Cardinales hinc inde elevant fimbrias pluvialis. Cum pervenerit ad faldistorium, dat rosam Diacono prae-dicto, qui eam Clerico camerae tradit et ille eam super altare ponit.

## §. IV.

*De ritu donandi vel mittendi alicui magno principi auream rosam.*

Finita missa Pontifex, facta Oratione ante altare, recipit rosam, ut supra, et eam defert ad cameram suam, et si ille, cui eam dare velit, est prae-sens, vocatur ad ejus pedes et genu-flexo dat ei rosam, dicens:

„Accipe rosam de manibus nostris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam designatur gau-dium utriusque Jerusalem, triumphan-tis scilicet et militantis Ecclesiae, per quam omnibus Christifidelibus mani-festatur flos ipse speciosissimus, qui est gaudium et corona Sanctorum om-nium. Suscipe hanc tu delectissime Fili, qui secundum saeculum nobilis, potens ac multa virtute praeditus es, ut amplius omni virtute in Christo Domino nobiliteris tanquam rosa plan-tata super rivos aquarum multarum, quam gratiam ex sua uberanti cle-mentia tibi concedere dignetur, qui est trinus et unus in saecula saecu-lorum. Amen. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen."

Hoc aliquando in capella factum fuit, antequam Papa descenderet de sede sua, sed convenientius est, ut Papa revertatur ad cameram suam cum rosa, et ita apud majores factitatum reperio.

## §. V.

*De ritu servando ab eo, cui rosa ipsa donatur.*

Ille, cui rosa data est, postquam manum et pedem Pontificis osculatus est, eique pro tempore gratias egit, cum Papa in camera vestes sacras de-posuerit, ipse rosam manu gestans, associatur usque ad domum suae ha-bitationis a Collegio Cardinalium me-dius inter duos antiquiores Diaconos, post omnes alios Cardinales equitantes.

Circa illum sunt pedites cursores ro-manae Curiae cum suis baculis, qui solent illa die strenas ab eo, qui ro-sam habuit, accipere.

*Catalanus*, Caerem. Ecclesiae rom. t. I. p. 265—271.

## S. ROSA LIMANA.

*Bullam Canonisat.* a Clem. X. die 12. Apr. 1671 promulg. vd.: Bullar. r. t. VI. p. 347. (Ed. Luxbg.).

## Clemens PP. XIV.

Alias Venerabilis Fr. Didacus An-tonius Archiepisc. Limanus supplices Nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet Officium ac celebrandi missam *translationum Re-liquiarum s. Rosae a s. Maria vir-ginis Limanae* totius regni Peruviani patronae ab universo clero ejusdem regni. Nos annuendum esse censui-mus editumque fuit decretum sequen-tis tenoris:

Cum Redss. Archiepiscopus Limanus SS. D. N. Clementi PP. XIV. humill. preces porrexerit pro facultate supra relata, SS. censuit annuendum pro concessione officii et missae *Trans-lationis dictarum reliq.* de comm. V. cum ll. 2. n. approbandis sub ritu semidupl. pro die ab Archiep. Limano designanda servatis Breviarii et Mis-salis rom. rubricis.

Die 27. Febr. 1773.

M. Card. Marefusus Praef.

M. Gallo S. R. C. Secret.

Deinde idem Archiepisc. supplicari fecit, ut Nos orationem et lectiones ppr. 2. n. recitandas approbare digna-remur. Nos has revisas approbavimus eaque ab utroque clero dicti regni recitari posse censuimus. Tenor ea-rum est sequens:

In festo translationum reliquiarum s. Rosae virg. Limanae:

## Oratio.

Omnipotens sempiternae Deus, qui mundi contemptum te diligentibus in-spirasti, da nobis in commemoratione s. Rosae virginis, ejus intercessione terrena despiciere et amare coelestia. Per Dominum etc.

In secundo nocturno:

## Lectio IV.

S. Rosae Limanae virginis tertii or-dinis s. Dominici corpus vere fuisse templum Spiritus Sancti, in quo Deum glorificavit atque portavit, dum viveret etiam postquam sepulturae mandatum fuit, manifesto apparuit. Cum enim ob eximia curationum beneficia populi frequentia in dies magis cresceret, prioribus civitatis sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum enixe postulantes, decreto Archiepi-scopi Limani extractum ita incorrup-tum repertum est, ut etiam suavem odorem effloret. Deposuit fuit de-centissime ad dexteram arae majoris. Verum ob copiosam multitudinem of-ferentium ibi vota sua, alius locus ei-dem collocando eligendus fuit, sacel-lum scilicet s. Catharinae Senensis, quae illi jam ab infantia spiritualis vitae magistra a Christo data fuerat. Debe-batur enim tam simili filiae sinus se-raphicae matris ad quietem.

## Lectio V.

Quam vero sublimem gloriae gra-dum in coelis obtineat, ostendit Deus maximis signis, quorum illa celebra-rima et crebra fuere, quae, ut ait s. Augustinus, coeli et terrae creatio-nem excedunt, conversiones scilicet peccatorum insignes, quae ejus meri-tis obtentae a Deo fuerunt. Ad solum enim virginei corpuscoli contactum, agente intus Deo, quamplurimi repen-tinis compunctionis stimulis ita fuere percussi, ut confestim elatis vocibus anteaetae vitae scelera detestati fuerint,